



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Rescriptis. Consilium IV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

præmissis, ac sel. rec. Bonifacii Octavi &c. quia non est huiusmodi derogatio universalis, quoad singulos articulos dictæ constitutionis, sed limitata ac restricta ad dispositionem de dietis, ultra quas nemo virtute rescripti delegatorij Apostolici à sine suæ diocesibus in ius trahi potest, *d. c. statusum. in princ.* Eoque pertinent hæc limitativè expressa verba, *De una, & Concilij generalis de duabus dietis, dummodo non ultra tres vigore presentium ad iudicium trahatur.* Ita quod limitata derogatio limitatè intelligi debeat, & limitatum producere effectum. *In agr. 16.* De acquir. rer. dom. hoc est, à derogatione quoad dietas extendi non debeat ad derogationem cæterorum capitum vel articulorum, qui dicta Bonifaciana constitutione continentur. Sublato namque uno legis prohibitiæ impedimento, manet vis impediendi ex altero, *l. si non lex 83. De hered. instit.* Atque ita indubitatum relinquitur, hoc delegatorum rescriptum nullius prorsus esse momenti, neque Venerabili Domino Officiali ex illo aliquam jurisdictionem in hac causa posse competere.

Quo vitio seu causa nullitatis dicti rescripti ex constitutione Bonifaciana cessante, nihilo magis dicto Domino Officiali Antverpiensi competit inter has partes & in hac causa utilis aliqua jurisdictionis, ob id, quod minimè constat, hanc causam devolutam fuisse ad Sedem Apostolicam, sine qua devolutione rescriptum delegatorium est nullum; tunc præsertim, cum appellans falsò narrat se debite & ritè appellasse: quia falsa narratio rescriptum vitiat, *c. Super literis De rescriptis.* * Qui enim non appellat in tempore; qui à iudice intra tempora præscripta apostolos non petit, *Clem. 1. quamvis de appellat.* qui interpositam appellationem debito tempore non prosequitur, *Clement. sicut d. tit. l. ult. §. ult. C. De appellat. d. Clem. quamvis §. similiter & ibi Cardin. Imol. Anchar. & alij,* non videtur appellasse, sed lata sententiæ acquiescisse. Cum ergo hæc omnia prætermiserit Appellans, certum est, præfatum Dominum Officialem Antverpiensem omni jurisdictionis potestate destitui.

Adversus quæ nihil facit, quod Appellans dicit se vicesima nona mensis Iunii anno 1570. coram Antonio Pistore Notario appellasse, quodque eandem assertam appellationem deinde octava Iulij tunc sequentis Domino Officiali Ruremundensi intimaverit; dicens id constare per attestationem Liberti Roberts asserti Notarij: nam de huiusmodi instrumentis dictorum duorum Notariorum non constat. Percurrendo enim terminos in hac instantia servatos; qui tantum sunt octo vel novem, nusquam invenitur annotata exhibitio huiusmodi assertorum instrumentorum de interposita & intimata aliqua appellatione, vel de petitis & obtentis apostolis; sed tantum de præsentato rescripto decima tertia Martij, & ex termino vicesima octava Aprilis servato de reproductis literis citatoribus & inhibitoriis, & de mandato seu procuratorio appellantis. Ex quibus solis petitij appellans, quod Dominus Officialis Antverpiensis declararet, se huius causæ iudicem competentem. Ita quod nimis confidens & temeraria sit dicti appellantis assertio, de huiusmodi assertis instrumentis, quæ non exhibuit; etiam postquam

huiusmodi defectum pars appellata formaliter ei obicit. Sic quoque, cum non proferatur instrumentum de ijs, quæ operantur devolutionem appellationis ad Sedem Apostolicam, apertum & manifestum sit, nullum esse fundamentum asserendæ jurisdictionis.

Quibus hoc insuper adijcimus, quod huiusmodi allegatio appellantis sit tantum de appellatione extrajudiciali, non coram iudice interposita, *c. Ve debitis De appel. Specul. tit. de appellat. §. qualiter versic. item causus:* quam jus duobus dumtaxat casibus permittit, videlicet si iudicis presentia haberi non possit, vel ex iusto metu appellans iudicem adire non auit, *l. final. De appell. & ibi Decius.* Quibus etiam casibus hoc præterea requiritur in sic appellante, ut extrajudicialiter coram Notario & testibus protestetur, & expressim declaret se iudicem metuere, aut ejus præsentiam habere non posse: alioquin hac protestatione omissa, ipsa appellatio est omnino nulla, ex defectu formæ, neque devolvit causam ad superiorem iudicem, *Panormit. Imol. & alij, in d. c. fin. Guil. Cassadorn dec. 3. de appel. Socin. cons. 45. Visa appellatione:* præsertim si cum extrajudicialiter interposita est, postea iudici à quo, durante adhuc decendio ad appellandum dato, intimata non sit, *Cassador. d. dec. 3. prout in præsentia causa allegata per Appellantem intimatio huiusmodi Officiali Ruremundensi durante illo decendio facta non est.* Nam & ipse appellans dicit (sed non probat) se assertam suam appellationem Officiali Ruremundensi intimasse octava Iulij, & sic octo diebus post dictum decendium ad appellandum datum; cum asseratur, sententiam à qua latam fuisse vicesima Iulij, non interveniente aliquo defectu præsentis iudicis, neque occasione iusti metus appellandi coram eo: imò proponatur etiam, quod appellans coram Notario & testibus appellaverit vicesima nona dicti Iunii, postquam satis temporis habuit intimandi huiusmodi appellationem, durante scilicet adhuc prædicto decendio.

Per quæ omnia manifestissimum sit, Venerabili Domino Officiali Antverpiensi in hac causa nullam competere jurisdictionem, ideoque iustam esse partis appellatæ oppositionem contra contrariam appellantis assertionem; officiumque & partes Domini Officialis, ut declaret se iudicem huius causæ non esse; remittendo partes ad iudicem prioris instantiæ, & condemnando appellantem in expensis.

De Rescriptis.

SUMMARIUM.

Rescriptum delegatorium.

1. 2. Intellectus c. Statutum. De rescript. lib. 6.
3. Extra propriam diocesim committi potest causa, quando Capitulum Cathedralis litigare intendit, vel alius contrariis.
4. Canonici iudex recusari potest in causa concanonicorum.
5. Scientia certa vim habet expressæ derogationis, & promou proprio est.
6. Legati Apostolici causas omnes sue provincie audire & committere possunt etiam per viam querelæ.

CON.

CONSILIVM IV.

QUOD per eximium Dominum Assessorum pro dubio proponitur ex his, quæ Dominus Præles Everardus de Middelburgo tradit, in loco à sילו curia vers. incip.

Et per præmissa dixi prædem &c. terminos actorum, & allegationem partis citatæ excedere videtur. Nam cum in rescripto delegatorio Illustriss. Episcopi Vercellensis Nuntij Apostolici cum potestate Legati de latere in hac causa Reverendorum Domin. Decani & Capituli Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Impetrantium exhibitio, nulla omnino conspiciatur Bonifacianæ constitutionis, in c. Statutum §. cum verò De rescript. lib. 6. derogatio specialis, aut universalis, nulla videtur esse occasio querendi aut disputandi, an specialis derogatio de una, ex dicta constitutione, & ex Concilio generali, de duobus dictis, c. Nonnulli De rescript. subiecta generali derogatione, de quibusque alijs constitutionibus Apostolicis, derogat omnibus clausulis dictæ Bonifacianæ constitutionis: præsertim quoad hoc, quod cum Actor & Reus ejusdem civitatis seu diocesis sunt, causa extra suam diocesin seu civitatem committi non possit: quod dicta Bonifaciana constitutione specialiter exprimitur, in d. §. cum verò. Qui est articulus, quem Dominus Præles loco designato tractat & decidit, & huic causæ in articulo impugnandæ jurisdictionis applicari aut dubium facere non potest; quem ob id consulto præterimus, ne supervacuum laborem suscipiamus: præsertim quod Advocatus partis citatæ ex dicta constitutione de restrictione speciali derogatione nihil proponat.

Quoniam verò ex dicta constitutione illud contra jurisdictionem delegati iudicis proponitur, quod causa extra patriam & diocesin Leodiensem commissa sit, quod eadem constitutio prohibet (quod magis pertinere, & justiore dubitationem habere credo dubium per D. Assessorem propositum) de eo dubio resolvendo agemus. Aperta sanè ea in parte est dictæ Bonifacianæ constitutionis dispositio, quod cum Actor & Reus ejusdem sunt civitatis seu diocesis, extra ipsas causas rescripto Apostolico non committatur, nec aliquis eorundem conveniatur: eaque ex causa videtur hoc Episcopi Vercellensis, quamvis Nuntij Apostolici, rescriptum à dictis Dominis Decano & Capitulo in civitate Leodiensi residentibus, Actorisque partes sustinentibus, contra totum Clerum secularem & regularem patriæ & diocesis Leodiensis, pro maxima parte in civitate Leodiensi, omnes sanè in eadem diocesi Leodiensi residentes, impetratum, esse nullum & irritum: ex eo, quod hic Nuntius per hoc rescriptum cognitionem hujus causæ mandaverit & commiserit tribus Prælatibus Lovanensibus, sub diocesi Mechliniensi, & sic extra civitatem & diocesin Leodiensem residentibus; directè & formaliter contra dictam Bonifacianam constitutionem, quæ adjectione clausulæ decreti irritantis est munita & obstricta, in d. c. Statutum §. fin. Sic quod hæc Citatorum exceptio, & quod ex ea moveri posset dubium, in aspectu multum probabilitatis habere videatur.

Ceterum tam præcisa & firma non est hæc Bonifacianæ constitutio, ut nullam patiatur aut admit-

Conf. Wam. Tom. I.

tat exceptionem. Nam eadem ipsa constitutio expressim conceptisque verbis quoddam casus excipit, in d. §. cum verò vers. nisi ab Episcopo, & inter alios primo loco illum, quo Episcopus licet intendere vult illi, qui de sua diocesi est, aut è contrà, quo subditus sue diocesis Episcopum ipsum ex commissione seu delegatione convenire vult: ut eo casu id fieri possit extra communem civitatem & diocesin; vitandæ scilicet suspicionis gratiâ, de qua facile argui posset datus iudex, qui Episcopo subest, c. Causam qua 17. De off. & potest. iudic. deleg. c. Accedens 2. Ut lite non contest. prout subsunt omnes, qui sunt & resident in ejus diocesi, c. Omnes Principes, De maiorit. & obed.

Quamvis autem de solo Episcopo & ejus subditis hæc exceptio loquatur, idem tamen ius statuendum & recipiendum est quoad ipsius Capitulum Cathedrale; tum propter connexitatem, qua Episcopus fingitur unum corpus cum suo Capitulo, c. Si quis cum 23. vi. q. 1. c. Novit De his qui sunt à Prælat. & sic par & æqualis subest suspicionis evitandæ causæ, Ant. de Butrio in d. §. cum verò, tum quod regulariter in personis seu calibus eandem rationem habentibus (ut generaliter ex similitudine, & multo magis ex identitate rationis) legum atque Canonum facile admittatur productio & extensio, l. Non possunt, cum l. seq. De legib. Decius int. l. 1. in fin. De reg. iur.

Cum itaque suspicionis evidentiæ ratio in propositæ litis casu non ex una tantum parte observetur, sed utrimque; dictis Dominis Decano & Capitulo nolentibus, imò non valentibus hoc efficere, ut in civitate Leodiensi alicui Prælato residenti per rescriptum Apostolicum committatur; non potest nec debet redargui nullitas hujusmodi commissionis extra fines diocesis Leodiensis factæ. Attento præsertim, quod ex eadem Bonifacianæ constitutione per rescriptum Apostolicum causa nisi Prælato in Ecclesiastica dignitate constituto possit committi, d. c. Statutum §. sane curia; & nemo eorundem Prælatorum sit, qui non possit non dictis Dominis Decano & Capitulo hujus causæ Actoribus esse suspensissimus: cum hi omnes in hac eadem causa partes Reorum sustineant; nemo autem in eadem causa possit esse pars litigans & iudex; cum hæc personæ numero debeant esse distinctæ, c. Foris vers. in omni De verb. signif. nemoque possit sibi jus dicere, l. 1. c. Ne quis in sua causa iudic. &c. Quæ eadem ratio movit, cur minus iidem Actores poterint impetrare rescriptum ad aliquem ex gremio suæ Cathedralis Ecclesiæ; cum omnes sint hujus litis consortes, & commune sit omnibus hoc negotium, l. 2. c. De consort. eiusdem litis. * Cum aliqui ex eo solo iudex recusari possit, quod Actor sit Concanonicus, c. Cum R. Canonicus 35. De off. iudic. delegat. prout aliàs contra D. Officialem Leodiensem, cui hæc causa per prius rescriptum Gregorij Papæ XIII. mandata & commissa erat, oppositum fuit: & non tantum ipse D. Officialis, allegatus suspectus, sed & omnes in civitate Leodiensi advocati; etiam si aliquot ex consensu partium, ad diligendam & removendam omnem suspensionem, in definitione causæ idem D. Officialis assumere obtulisset. Sed nec hos tamquam dicto Officiali subditos & favore affectos admittere, vel suam illam exceptionem & recusationem

lationem remittere voluerunt Rei: prout constat ex fine actorum coram dicto Domino Officiali, inter has partes & in eadem hac causa Leodij habitorem, & in hac instantia exhibitorum, ac per Citatos egitorum. Ita quod DD. A&oribus manus quodammodo clausa fuerint, quoad impetrationem commissionis in civitate Leodienfi: eoque respectu, quod ex dicta Bonifaciana constitutione erat, seu videbatur illicitum vel non-permissum, id necessitas fecit licitum, & *Quod non est, De reg. iur.* Aut quod rectius veriusque dici potest, ob inevitabilem utrumque obversantem probabilem suspicionem, quod hoc casu commissio causae extra communem civitatem seu diocesin sit permilla, & à regula dictae constitutionis excepta, ex similitudine, imò ex identitate rationis, quae est in exceptione de Episcopo: hoc est propter inevitabilem suspicionem adversus omnes, qui Episcopo subfunt in eadem civitate seu diocesi. Et hoc est, quod in hoc iuris articulo scribit Dominicus Geminianus in d. §. cum vero, num. 5. quod quamvis in constitutione iste casus de Episcopo specialiter proponatur, nec alius simili modo excipitur; extensa tamen ratio, propter suspicionem, ad aliam similem speciem propter omnimodam similitudinem, recte fiat extensio huius exceptionis. Proinde ad insciendum dicti Vercellensis Episcopi rescriptum, quo hac causa extra communem civitatem seu diocesin Leodiensem commissa fuit, nihil facit dicta constitutio; cum eadem hoc expressè permittat eo casu, quo in communi civitate seu diocesi Actor personam invenire non potest, quae, vel ipsi, vel adversario non sit suspecta, aut idoneus iudex.

Nec ad rem facit, quod in hoc rescripto huius Apostolici Nuntij nulla sit derogatio aut dispensatio adversus dictam Bonifaciam constitutionem: quia illa nullo modo est necessaria; cum nihil per hoc rescriptum contra factum sit, sed omnimodò secundum illam, nimirum juxta exceptionem à generalitate dictae constitutioni per Bonifacianam adjectam. Tam enim facit vis exceptio, ut ipsa dispositio, cui exceptio subnectitur, *Dynus ad proemium De reg. iur. lib. 6. Decius ad l. 1. D. De R. I. m. 20.* sic quod hominis derogatio nec requiratur nec admittatur; saltem necessaria non est, cum extat legis seu canonis derogatio, *Zafius conf. 8. Poterius n. 16. vol. 1.* Ideoque ne quidem necessaria supplicanti pro rescripto, ut mentionem illam faciat Bonifacianae constitutionis. Quod enim jure conceditur, precibus implorandum non est, nec illis inferendum, *l. 1. C. De thesauro lib. 10. c. Inter dilectos versic. ceterum De fide instrum. l. 1. D. Ad municipal.* Cum igitur dicta constitutio permittat causam extra communem civitatem & diocesin committi in casu talis suspicionis; nulla ratione astringendus est actor, ut illam petat per modum dispensationis vel derogationis adversus constitutionem Bonifaciam in ea parte, quae prohibitiva est; cum ipsa constitutio huiusmodi prohibitioni nolit locum esse in casibus ab eadem constitutione exceptis.

Sed etsi specialis huiusmodi hominis derogatio ad sustinendam hanc commissionem extra communem patriam in casu proposito necessaria esset,

ex eo, quod hic casus in specie non invenitur expressus in parte exceptivae dictae constitutionis, & similitudinis ratio inter expressum casum de Episcopo tanta non sit, ut inde concludenter fieri debeat vel possit extensio ad huiusmodi propositum casum, à ratione legis strictae; Praesens in loco à ratione legis strictae: nihilo magis vitio aliquo surreptionis vel obreptionis dici posset laborare hoc Nuntij Apostolici rescriptum, quo nullà facta formali & formalibus verbis derogatione dictae Bonifacianae constitutionis, causa commissa est extra communem civitatem seu diocesin; quod eadem constitutio prohibet. Idque ex ea ratione & consideratione, quod in supplicatione Nuntij Apostolici pro obtinendo hoc rescripto Actores expressè narraverint dictae partis suae adversè contradictionem & reculationem coram Officiali Leodienfi adversus ejus jurisdictionem factam ex causa suspicionis, eodem suspicionis liquore etiam perfundendo omnes Advocatos & Iurisperitos in civitate Leodienfi (ob quam rationem idem Officialis hanc causam ad S. D. N. Papam ejus committentem, five ejus Legatum, seu Nuntium remisit) petendo causam committi in oppido Lovanienfi; cum dilucida expressione, quod Lovaniam non Leodienfis, sed Mechliniensis esset diocesis: ita quod non possit dici dicto Nuntio surreptum vel obreptum, cui tam exactè omnia narrata sunt ad excludendum omne vitium, *l. Cum pater 77. §. filia in fin. De legat. 2. l. si in §. bona fidei in fin. Instituit. de actionib. 1.* Sic quod manifestum sit, dictum Nuntium ex certa scientia sic extra communem civitatem ac diocesin causam hanc Lovanij in alia, sed vicinissima diocesi commississe. Quae certa scientia pro derogatione est, & expressae derogationis potestatem habet, ex communi Interpretum sententia, & dictae Bonifacianae constitutionis interpretatione, *Panor. & alij in 6. Nonnulli, de rescript. Phil. Franc. in d. §. cum vero, n. 6. Praesens in d. vers. & per praemissa, Benedic. Capra in suis regul. conclus. 58. n. 23. in fine.* Nam hac certa scientia satis pro motu proprio est, *Bellamera decis. 81.* & omne vitium surreptionis & obreptionis discurrit: dispensationis quoque & specialis derogationis effectum habet. Unde est, quod collatio beneficii facta filio presbyteri à Papa vel Episcopo, scientibus illis talem qualitatem & incapacitatem, jure licitae derogationis & dispensationis valeat, quae sine hac scientia non valeret, *c. Veniens & ibi gl. & DD. De filio presby.*

Cum igitur hic Reverendissimus Nuntius Apostolicus tempore concessi huius rescripti in his partibus, imò in ipsa civitate Leodienfi fuerit; & non tantum ex capitulis facultatum ei per S. D. N. Papam mittentem concessarum; * sed etiam ex dispositione juris communis, *c. 1. De off. legati,* quo Legatis de latere seu Nuntiis cum potestate Legati de latere, non tantum per viam appellationis, sed etiam querimoniarum (ut est in proposito casu huius litis) audire potuerit causas provinciae, in qua est legatus vel Nuntius, aut illas alij cognoscendas mandare & committere: dubium esse non potest, quin haec commissio per omnia sit utilis & valida. Ut multum aberret advocatus Citatorum in eo, quod allegat, Episcopo Vercellenfi id non licuisse. Ut etiam errat in eo, quod putat, hanc

hanc causam per dictum Nuntium avocatum fuisse à dicto Officiali; cum nec id verum sit: quia ex decreto D. Officialis constat, ipsum D. Officialem contraditionibus & recusationibus Reorum commotum, causam à se abdicasse, & ad committentem Papam, seu ejus Nuntium remisisse. Ita quod idem Nuntius hoc rescriptum concesserit, non per modum avocationis, sed per modum querimonie; ut jure expedite facere potuit, d. c. 1. *De off. legati*: idque sine vitio aut periculo indebita, & à jure prohibita; c. 2. *De off. legati*, immixtionis seu admotionis manus ad causam per Papam alij delegatam: cum alius delegatus ad hanc causam nullus fuerit, nisi prefatus Officialis, qui, ut dictum est, causam ad committentem remisit; & sic causa sine iudice vacua, fuit devoluta etiam ad Nuntium, ut per viam querimonie ejus commissio sic impetrari potuerit, d. c. 1. *De off. iud. deleg.* in quo etiam erravit dictus Advocatus. Et postremo etiam in illo, dum allegat citatos, subiectos esse immediate Sedi Apostolicæ, & exemptos ab ordinaria jurisdictione; ideoque Nuntium non potuisse adversus illos causam committere. Nam quo quis ab ordinaria jurisdictione plus est exemptus, eo magis adversus illos Papa & ejus Legati, ac Nunti adiri possunt; etiam per viam querimonie, ut tanto expeditius adversus eos juris dicendi & iustitiæ administranda sit potestas.

Per quæ sufficienter existimamus proposita, & quæ amplius proponi possent dubia, in hoc articulo de competente jurisdictione resoluta esse: & hoc rescriptum omni jure subsistere.

De Rescriptis.

SYMMARIUM.

Litterarum Apostolicarum executio non fulminata.

1. Littera Apostolica an non fulminata executioni mandari possint.
2. Prescriptio adversus Ecclesiam quadragenaria esse debet.

CONSILIUM V.

AUTORITATE Pontificia facta est duarum Capellaniarum in certa collegiata Ecclesia (ad quam Capellaniarum collatio ordinaria pertinet) unio & incorporatio ad mensam Capitularem, ad sustentationem fabricæ ejusdem Ecclesiæ, impetratis & expeditis desuper Bullis; quarum alia executio facta non est, nullo processu per aliquem in dignitate constitutum desuper fulminato, nisi quod Capitulum ejusdem Ecclesiæ, vigore illarum bullarum, realiter & de facto hujusmodi duas Capellantias suppresserit, unierit, & incorporaverit dictæ mensæ Capitulari; easdemque duas Capellantias sic suppressas, unitas, & incorporatas ultra 30. annos in eo statu retinuerit. Quæritur, an incorporatio & unio, propter omissam fulminationem processus super dictis bullis, aliquo vitio nullitatis laboret?

Certa resolutio dari non potest, non visis literis seu bullis Apostolicis, ex quarum verbis propositæ quæstionis decisio dependet. Nam si in bulla

unionis seu incorporationis hoc non continetur, ut propria auctoritate Capitulum hoc facere possit, verendum est, ne nulla dici possit, & effectum minime sortita hujusmodi unio & annexio: quia nemo propria auctoritate possessionem concessi beneficij aut privilegij apprehendere potest, sed adhibere debet auctoritatem & interventum superioris, *Decl. in c. Cum venisset De rescriptis, spoliatis*. Sed si ea clausula continetur in dictis literis, dubitatio nulla est, quin (si aliud, quod non proponitur, impedimentum non subest) Capitulum sine processu fulminato, & sine executore id facere potuerit, ut expresse jure decusum est, c. *pastoralis* 19. *De privileg.* Ioan. Franc. Ripa *consil.* 6. *Nihil proponitur in fin. sub tit. de rescriptis in alijs impressionibus est consil.* 18. *respons.* 2. *Nic. Boerius de off.* 346. n. 2. Executoris etenim adjectio ex superabundanti plerumque fit, ut adversus resistentes procedi, & gratia Apostolica executioni mandari possit; cujus auxilio opus non est, nemine resistente. Quo præsupposito, quod scilicet ritè ac debite executioni mandata, & sic effectum sortita sit hæc unio, cessant sequentes quæstiones de restitutione fructuum ac jure devoluti.

Præsupposito sane, quod in dictis literis potestas apprehendendæ possessionis propria auctoritate non sit concessa, videtur quod xxx. annorum possessio non sufficiat ad convalidationem unionis, & expugnationem vitij contracti, atque indebiti modi executionis, quia cum præscriptio, quæ hinc causari potest, tendat adversus Ecclesiam & Ecclesiasticas personas, requireretur ad illam perficiendam tempus xl. annorum, c. *de quarta*. 4. *De prescript.* c. *Cum de beneficio & ibi gloss. & DD. De præbend. lib. 6.* ex cujus temporis diuturnitate omnia præsumuntur circa titulum unionis solemniter acta, *Rota dec.* 375. *Nota quod ubi, in antiq. Boer. de decis.* 346. n. 5. Videatur igitur, an hæc unio quadraginta annis steterit. Quod si verum est, præsupposita veritate deficientis legitimæ executionis, nihil amplius querendum est; neque etiam metuendum Concilium Tridentinum, quod omnes uniones à xl. annis citra factas & effectum sortitas examini vult, an sint legitimæ; & non sortitas effectum revocat, *sess.* 7. c. 6. *de reformat.* Sanè si hæc Ecclesia à jurisdictione ordinarij exempta est, facilius erit progressus & expeditior effectus dictæ unionis; cum nemo sit, cujus inter sit hanc unionem non fieri; nisi ipsius Capituli, quod immediate superioritatem habet super Capellanijs. Ita quod quamvis alias uniones fieri debeant *vocationis* *vocandis*, & præsertim ordinario, *Clem. ult. De reb. Ecclesiæ non alienan.* hic nemo vocari debuerit: quia vacantibus his duabus Capellanijs nemo fuit, cujus interesset illam non fieri, nisi summi Pontificis, qui unionem concessit.

Proinde diligenter videantur literæ, quibus eæ quæ præscripta sunt, ad resolutionem dubij propositi applicentur.

De Rescriptis.

SYMMARIUM.

Error in nomine judicis in rescripto.

1. Rescriptum ex falsa narratione quando non vitietur.

2. *Indiget*